virum, lautam aliquando cænam præbuisse, cui pleriq; etiam Legatorum exterorum intererant. Procedente convivio, Studiosè requisivit, essetne quod in conditura ciborũ hospites desidererant; protestatus etiam, nolle se laudari, quod displicuisset; peculiarem causam habere, cur sic rogaret. Mirari omnes, quid hoc vellet sibi, nec convivarum quisquã fuit, qui suo palato satis factum negaret. Tum verò Oszolinskius, rem omnem exposuit; scilicet experimentum opum patriarum se capere voluisse; nihil appositum, quod non in Polonia natum factumq; esset; judicium hospitum tantorum expectâsse. Eos nunc se testes appellare, iis expendendum relinquere, quam stultum damnosumq; sit, cùm patria non vitæ solum, sed & voluptati sufficiat, dulcem exitium adversosq; non gulæ sed temperamento nostro cibos immani fœnere ab externis mutuari. Neq; verò ideo minùs sibi sufficere Polonia putanda est, quòd *ab exteris Regem* accipit Hoc non necessitas vitæ, sed Status conservandi utilitas postulat & in eo sum-